

pectu concursus Dei nihil est distans, et sic non sequuntur eadem inconvenientia, si Deus velit concurrere cum causa creata sine alligazione ad talem modum ejus naturalem, respectu materiæ sibi proximæ et conjunctæ.

Ad confirmationem respondetur, quod in impulsu sagittæ virtus impellentis non solum est in aere proximo, sed in ipsa etiam sagitta, et in aere eam deferente, qui tamen aer a sagittante primo fuit impulsus et illa impulit partes sequentes, et illæ alias, et sic semper transivit virtus per medium, sed quia est virtus de se transiens, cum est in partibus sequentibus desinit esse in an-

terioribus, aer enim primo divisus a sagitta rursus in se reclusus est, et quiescit, impulsu ultra transeunte. In gravibus autem non fit motus a virtute emissa de novo a generante, sed ipsi naturæ a principio impressæ, ex qua per dimanationem oritur motus, non per novam actionem. Et ad ultimum de igne fornacis dicimus, quod recluso ostio, continuo debilitatur calor, qui est in aere ut in subjecto extraneo, et manus sentit debilitationem caloris, quousque totaliter a contrariis corrumpitur vel temperatur; unde non sequitur quod non calefaciebat per medium.

CIRCA LIBRUM OCTAVUM.

DE MOTUS ÆTERNITATE, ET REDUCTIONE IN PRIMUM MOTOREM.

QUÆSTIO XXIII.

DE MOTU RERUM NATURALIUM, ET PRO-
JECTORUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum gravia, et levia moveantur a se, vel a principio extrinseco?

Hæc difficultas admodum celebris est, et ejus resolutio pendet ex principiis, quæ valde conducunt ad alias materias, in quibus agitur de motibus dependentibus a principiis extrinsecis, ut in prima intellectione,

et prima volitione, in motu cordis, et similibus. Et supponimus hic duo tanquam certa, et in uno est tota difficultas.

Primo, est certum gravia et levia habere in se formam, et principium sive activum, sive passivum, ut etiam in absentia sui generantis, omni alio extrinseco movente remoto, moveantur, cum id constet ipsamet experientia: hoc autem principium est duplex, scilicet principale, quod est forma substantialis, quæ est radix illius motus, et minus principale, quod est gravitas, vel levitas, ut enim dicit D. Thomas in II, dist. XIV, quæst. I, artic. V ad secundum: « Sicut substantia non est

principium alterationis, nisi mediante calore, vel frigore, ita neque est principium motus, vel quietis localis, nisi mediante gravitate et levitate. » Unde male aliqui recentiores negant, gravitatem et levitatem esse qualitates, sed substantiam ipsam gravis et levis: nam gravitas suscipit magis et minus, unde illud dicitur gravissimum, quod petit esse in infimo loco, ut patet in primo de Cælo, text. XVIII, lect. V, apud D. Thomam, substantia autem non suscipit magis et minus. Sola autem compressio partium non facit gravitatem, sed hoc pertinet ad densitatem, quæ etiam qualitas est, non substantia; potest autem dari corpus densum, nec tamen grave, nec leve, ut corpus solis et astrorum, potest etiam aliquid esse minus densum, et magis grave, sicut lignum, quod natat super aquam, et corium aquam plenum fertur in profundum, aqua autem non est densior ligno, neque corium, licet verum sit quod densitas juvet ad majorem gravitationem.

Secundo, est certum quod generanti saltem remote tribuitur motus gravis in hoc sensu, quia dat formam, et principium ipsi gravi, quo movetur. Sed hæc ratio etiam generans dat viventi formam, et principium quo movetur vitaliter, et tamen vere movet se.

Quare difficultas in hoc consistit, an res inanimatæ accipiant a generante non solum virtutem movendi, sed etiam motum ipsum, ita ut licet habeant in se principium motus ut *quo*, sive passivum, sive activum, tamen principium movens ut *quod* non sit ipsum grave, quod movetur, sed ipsum generans, a quo accipit formam et motum.

Duplex est sententia: prima docet gravia et levia moveri ab intrinseco, nec habere motum a generante, sed solum ab eo habere virtutem ut

moveantur, et hæc ratio attribui motum eorum generanti, tanquam principio remoto, non ut proximo ipsius motus. Quæ sententia attribuitur Scoto in II, dist. II, qu. X; Gregorio dist. VI, q. I, art. III, et sequuntur plures ex recentioribus, ut Placa II Physic. disp. V, qu. VII; Peperius lib. VI, c. XVI; Martinez II Phys. in illustratione capituli primi, notabili VI; Cabero VII Physic. disp. unica, dub. III.

Opposita sententia tanquam Aristotelica docetur a D. Thoma pluribus in locis I p. q. XVIII, art. I ad 3, q. CV, art. II et II contra Gent. cap. XLVI, et III contra Gent. cap. XXIII, et III Physic. lect. VIII, et II de Cælo, lect. II, et in II, dist. XIV, q. I, art. III, et alibi sæpe. Et D. Thomam sequuntur communiter ejus discipuli, et alii, qui citantur a Conimbricensibus lib. VIII, c. IV, q. I, art. II, et Cursu Carmelitano disp. XXVIII, q. II.

Continet autem hæc sententia quatuor dicta, ex quibus tria tanquam certa affirmantur ab his Auctoribus, et in alio est dubium inter ipsos. Primum dictum: Principium motus gravium, et levium per accidens, est removens prohibens, sicut qui movet columnam est causa quod descendat lapis, sed per accidens, non per se. Secundum dictum: Principium talis motus per se ut *quod* est generans ipsum grave, mediante tamen principio intrinseco, quod est forma gravis, et gravitas ejus, tanquam principia ut *quo*, eo quod iste motus dimanat a tali forma. Tertium dictum: Nullo modo ipsum grave movet se ipsum tanquam motor, et ut *quod*. Quartum dictum: Principium *quo*, scilicet forma, et gravitas alii dicunt esse principium passivum talis motus, alii activum. Sed verius est in sententia D. Thomæ, quod est principium activum formale, ut distinguitur

contra materiale et mere passivum, non autem est principium activum per modum motoris et agentis.

De primo dicto non est difficultas aliqua. De quarto, explicabimus mentem D. Thomæ infra. De secundo et tertio, probandum nobis est, quod sit sententia Aristotelis, et vera, tum quantum ad id quod negatur, scilicet grave non moveri a se; tum id quoad quod affirmatur, scilicet moveri a generante, ut a principio *quod*, et a forma intrinseca, et gravitate, ut a principio *quo*, quia mediante illo dimanat motus.

Quod ergo sit sententia Philosophi, constat manifeste ex hoc libro VIII, cap. IV, art. text. XXIX, supponit enim Philosophus gravia et levia suapte natura moveri, id est, naturali motu, et non violento, inquit autem a quo principio moveantur, et inquit: « Est autem impossibile, quod moveantur a seipsis, est enim hoc officium vitæ, et animatorum proprium, quæ consistere in se ipsis possunt. » Subjungit autem in textu XXXIII: « Eorum quæ natura moventur, iterum quæcunque a se ipsis moventur, ab aliquo moventur, et quæ non a se ipsis, ut gravia et levia (aut enim a generante, et faciente leve et grave, aut ab eo quod impediunt, et prohibentia solvit) omnia ergo quæ moventur, ab aliquo moventur. » Videri etiam potest Aristoteles lib. III, et IV de Cælo, in locis quæ infra citabimus adducendo auctoritates D. Thomæ.

Et licet verba citata clarissima sint, respondent tamen oppositi Auctores dupliciter. Primo, quod Aristoteles solum voluit docere, quod gravia et levia non moventur a se ipsis eo modo, quo animalia, scilicet motu spontaneo et progressivo, non tamen voluit negare, quod omnino moveantur ab alio cum dicat suapte natura moveri. Secundo, respondetur quod dixit Philosophus

gravia et levia moveri a generante per quamdam attributionem, non sicut a proximo, et per se movente; nam eodem modo dixit, quod moventur a removente prohibens, cui tamen non attribuitur iste motus, nisi per quamdam attributionem, et sic Aristoteles non assignat hic principium proximum motus gravium, sed remotum.

Sed prima solutio omnino aberrat ab intento Aristotelis, cum enim ipse intendat probare, quod omne quod movetur ab alio movetur, quando dicit gravia et levia non a se moveri, sed ab alio; si solum intelligitur non moveri a se motu spontaneo, bene tamen alio motu, qui sit ab intrinseco, ergo ex hoc solum poterat inferre, quod omne quod movetur, non movetur ab alio motu spontaneo, non tamen quod absolute movetur ab alio et non a se ipso, cum tamen absolute Philosophus dicat omne quod movetur ab alio moveri, et gravia et levia a se ipsis non moveri. Deinde, quia viventia non solum moventur a se ipsis in motu spontaneo, quem possunt sistere quando volunt, sed etiam in motu omnino naturali, quem non possunt detinere, ut in motu nutritionis, et augmentationis, et aliis similibus, ergo non sufficienter probavit Aristoteles gravia et levia non moveri tanquam viventia, et a se ipsis, si solum intelligit quod non moventur a seipsis motu spontaneo, sed utrumque exclusit, scilicet quod non moventur motu spontaneo, neque alio motu a se ipsis, ut motu augmentationis, etc. Quod autem dicit Philosophus moveri suapte natura et levia, non intelligit, quod a seipsis moventur, sed naturaliter et non violento.

Secunda vero solutio levissima est: tum quia moveri a generante, ut a principio remoto, et per quamdam attributionem etiam convenit

viventibus, quia accipiunt a generante virtutem se movendi, ergo si solum hæc ratione tribuitur generanti motus gravium et levium, qui gravia et levia accipiunt virtutem a generante ut moveant se, nullam differentiam poneret Aristoteles inter gravia et levia, et inter viventia, cum tamen dicat a se ipsis non moveri, quia hoc est proprium animatorum; tum etiam, quia intentum Aristotelis non erat probare, quod omnia quæ moventur, moventur ab alio per quamdam attributionem, et ut a principio remoto, siquidem id probat per inductionem in his, quæ moventur ab alio, ut a principio proximo, sicut in his, quæ moventur violento, et in viventibus. Ergo insufficienter relinqueret probatum Aristotelis illud principium, si in gravibus et levibus non probaret, quod moventur ab alio nisi tantum remote, et per quamdam attributionem, nec deberet dicere, quod omne quod movetur, movetur ab alio, sed quod habet virtutem ab alio, ut moveatur; hoc enim est moveri ab alio, ut a principio remoto, quod tamen non dixit Aristoteles.

Et fundamentum hujus sententiæ stat in duobus. Primo, quantum ad partem negativam, quod non moventur a se. Secundo, quantum ad positivam, quod moveantur a generante. Quod a se non moventur, ratio Philosophi satis ostendit. Primo, quia moveri a se est proprium viventium; in hoc enim præcise distinguuntur viventia a non viventibus, quia movent se et non solum ab alio: et tunc dicitur aliquid carere vita, quando non amplius se movet, ut optime S. Thomas ostendit I p. q. XVIII, ar. I. Et constat, quod viventia non solum motu progressivo se movent, quod solum convenit animalibus perfectioribus, sed etiam motu vegetationis, et nutritionis, sicut convenit plantis; et ita quilibet mo-

tus a se sufficit ad rationem vitæ. Deinde etiam, quia in lapide, v. g. omnes partes sunt ejusdem rationis et virtutis, nec est alia movens, et alia mota, sicut est necessarium in his, quæ se movent, ut probat Philosophus in hoc libro, cap. V. Alioquin eadem pars esset simul movens et mota in actu, et potentia respectu ejusdem contra id quod probatum est quæstione præcedenti. Nec sufficit distinguere materiam et formam, ita ut materia sit pars mota, et forma pars movens, quia materia sola non est capax motus stricte dicti, ut ex Philosopho in V Phys. probat D. Thomas in II, dist. XIV, q. I, ar. III, et q. XXII, de Ver. ar. III, et III contra Gent. cap. XXII, respectu autem mutationis substantialis movetur a generante. Forma autem est principium *quo* movendi, non autem motor, nisi habeat adjunctas partes organicas; qua ratione dicit Philosophus hoc libro, c. IV, quod anima est pars movens, scilicet mediantibus partibus organicis.

Quoad partem vero positivam, scilicet quod motor gravium et levium sit generans, ex eo deducitur, quia id quod acquiritur per motum in gravibus, et levibus est esse in loco, et situ determinato in universo, quod unicuique debetur juxta propriam naturam, perfectiori enim debetur locus superior, et inferiori inferior. Quare hoc ipsum debet dari a generante naturam cum ei debeatur ex vi et proprietate nature, et in ipso instanti generationis; res enim generatur cum suis proprietatibus et accidentibus inseparabilibus, sicut res generatur cum colore et figura, et cæteris dispositionibus, ergo etiam sibi debetur situatio et ordinatio aliqua in universo juxta propriam naturam.

Est autem hæc differentia inter viventia, et non viventia, quod propria et naturalis dispositio viven-

tium, est esse in motu, ita quod idem est viventis mors, quod carentia omnis motus a se. Naturalis autem dispositio non viventium est quiescere, et removeri a quiete est removeri a dispositione naturali. Unde proprius actus gravis et levis, est esse deorsum aut sursum, ut dicit Philosophus in hoc capite IV text. XXXII, et ibi D. Thomas lect. VIII, atque adeo gravitas et levitas primo, et per se dantur ad quiescendum in loco, non ad movendum; sed quia ipsum quiescere est quædam proprietas et passio naturæ, vel ad modum proprietatis, ideo pertinet ad complementum generationis obtinere quietem, sicut obtinere alias partes et proprietates naturæ, nisi obstet aliud quod impeditur, et cum nihil generet se, ideo talem quietem obtinere non pertinet ad ipsum grave, sed ad illud a quo generatur, ita quod ipsa tendentia ad quietem seu motus ad illam quoties a tali naturali dispositione removelur grave, est pars quædam generationis et complementum ejus, quod, ut recte dixit Cajetanus I p. q. XVIII, art. 1, valde notandum est pro materia gravium et levium, inde enim pendet tota intelligentia illius. Igitur quoties impeditur propria passio manente forma in subjecto toties sublimamento resultat in vi illius generationis, qua primo producta est, quia ex vi illius debetur, sicut ablato uno puncto in linea resultat aliud, et ablata subsistentia Verbi, resultaret propria in humanitate Christi. Quod si ex ablatione proprie passionis vel motus ejus, forma non maneat in subjecto eo quod removelur dispositiones requisitæ, non mirum, quod non amplius resultet illa passio, sicut impedito motu cordis, iterum non resultat, quia moritur animal, nec manet in eo forma a qua resultet.

Hæc motus in gravi et levi est

emanatio quietis seu tendentia ad quietem in loco sibi debito, quæ emanatio virtualiter est ipsa prima generatio et complementum ejus. Sed tamen illa quies quando in loco proprio, in ipso primo instanti generationis datur, resultat sine motu per simplicem emanationem, si autem res sit extra proprium locum, datur per remotionem contrarii, et tollendo terminum a quo, atque adeo per motum, generatio enim illa in attingentia passionum potest vim habere motus, quatenus non solum dare potest ipsam proprietatem, sed removere ab opposito a quo impeditur, vel in quo invenitur. Et idem pronus est in reductione aquæ ad connaturalem frigiditatem, si ablata sit.

Solvuntur argumenta.

Sed dices primo: Instari hanc nostram rationem in multis aliis actionibus, quæ etiam pertinent ad naturalem dispositionem et perfectionem rei, nec tamen attribuuntur generanti; nam in viventibus motus augmentationis et nutritionis, et respirationis, et in non viventibus calefactio ignis et generatio alterius, attractio ferri a magnete, et similes pertinent ad perfectionem eorum. Secundo, quia motus cordis prima intellectio et volitio non sunt a generante; tum quia sunt actu vitales et consequentes a principio intrinseco, non ab extra; tum quia non sunt per emanationem sicut proprie passionis, alias ad actionem daretur actio, et ad motum motus, et ipsi primi actus intellectus et voluntatis clarum est quod per emanationem ab essentia esse non possunt, sed per veram elicentiam; tum denique, quia motus cordis non datur in primo instanti, cum in instanti motus non sit; ergo non est a generante,

solum enim tribuit generans id quod in primo instanti convenit. Tertio, quia datur principium elicivum hujus motus in gravi, scilicet ipsa gravitas, mediante qua movetur; ergo non dimanat motus, ut propria passio, quia ad dimanationem non exigit substantia qualitatem mediam, qua tanquam principio operetur.

Ad primum respondetur, quod augmentatio et reliqui motus naturales sunt quidem perfectiones, sed non proprie passionis ipsarum rerum, nec propriarum passionum acquisitiones; unde in ipsis non consummatur generatio, nec natura genita, et sic non tribuuntur a generante, sed acquiruntur a genito.

Ad secundam instantiam respondetur, omnes illos motus esse a generante, ut a movente sicut de motu cordis docet D. Thomas I-II, q. XVII, art. IV ad 2 et opusc. XXXV, et de primo motu intellectus, et voluntatis, quo movetur a Deo, I par. quest. XVIII, artic. III, et qu. LXIII, artic. V, et I-II, quest. IX, art. IV. Primus enim motus intellectus, et voluntatis, quia est circa finem, se habet sicut motus cordis, quia respectu finis in communi nunquam deficit, seu peccat; respectu vero finis in particulari, si deficiat, est mortale peccatum, quasi carentia vite. Sed tamen illi actus vel motus, licet sint ab extrinseco movente, sunt tamen ab extrinseco principio elicente, quia actus vitales sunt, unde non se habent ut proprie passionis, quæ ita dimanant, quod sola actione generantis fiunt, ita ut ipsum subjectum, cui conveniunt mere passive se habeat, ideoque motus cordis solum vocatur a D. Thoma accidens per se consequens vitam, in I-II, qu. XVII citata. Pertinet tamen ad generans dare tale accidens, seu motum ipsi genito, quia primus ille motus per se requiritur ad constituendum vi-

vens in proprio statu viventis, quod est esse in motu, et non in pura quiete. Sed quia est in motu, non quomodocumque movente, sed movente ut se moveat, et ut agat, consequenter non est ab ipso vivente mere passive, ita ut recipiens motum illum nihil omnino agat, sed elicitive a principio activo, quia actus vitalis est; sed quia est actus vitalis talis viventis, quod habet vitam participatam ab alio, et dependentem ab alio, seu motum ab alio, ideo in illo actu et primo motu ab extrinseco principio movetur, sed movetur ut moveat, et ut agat, de quo D. Thomas prim. p. q. CV, art. IV ad secundum, et q. LXXXIII, art. I ad tertium, et q. XVII, art. III. Quod si dicas: Quia eadem ratione primus motus ignis ad calefaciendum deberet esse a generante, quia ipso impetu naturæ emittit calorem, et pertinet ad generans, non solum dare proprias passionis, sed etiam accidentia concomitantia, negatur consequentia, quia motus ignis ad calefaciendum non pertinet ad constituendam naturam, nec perficiendum in ipso primo statu naturæ, quia ignis per calefactionem non movet se, sed alterum distinctum a se, natura autem est principium motus non alterius a se, sed ejus in quo est.

Primus autem motus viventis est motus ad movendum se, et sic pertinet ad ipsum statum naturæ, quia debet constitui natura in ratione principii motus in se ipso, principium autem motus non est solum forma, et virtus agendi, ut in potentia, sed ut mota ad agendum; et sic pertinet ad ipsum generans constituere genitum in ratione principii moti, ut moveat, eo quod primus motus non supponit alium priorem in ipso, per quem ad eum aliquis se moveat, sicut debet esse a principio extrinseco. Reliqui vero motus

inde secuti non attribuuntur generanti, quia non pertinent ad ipsum primum statum, generationemque naturæ, nec se habent ut accidens consequens naturam, sed pertinent ad perfectionem, vel acquisitionem alicujus superadditi naturæ jam perfectæ. Et ad omnes istos motus movetur animal ex primo motu cordis, sive sint alteratio, sive augmentatio, quia omnes spiritibus vitalibus a corde emanantibus aguntur.

Quod vero dicitur, ad actionem et motum non dari actionem et emanationem, respondetur motum et actionem vere emanare, quia se ipsa et non alia actione fit, et ita si sit actio pertipens ad primum statum naturæ, consequitur naturam productam ex vi ipsius generationis, in gravibus quidem et levibus, quia ipse motus est emanatio collocationis et situationis in loco proprio; et si fiat cum expulsionem loci oppositi, erit proprie motus ex contrario; in viventibus autem motus ipse non est emanatio alicujus propriæ passionis, sed est actio elicitæ ab ipso vivente dependenter ab ipso generante et generatione, quatenus producit vivens sic actuatum, ut eliciat illum motum primum, quo constituetur in ratione principii moti se moventis, et ideo si generans non est deficiens, ille primus motus cordis, vel voluntatis deficiens esse non potest. Quid autem illa actio producat? Respondetur quod in corde producit ubi, seu mutationem loci similem motui locali cœli, ut dicit S. Thomas opusc. LIII, eo quod est continuus, et per modum conversionis, seu trepidationis: in intellectu autem producit conceptum, in voluntate terminum spirationis, seu amoris.

Quod vero dicitur, non dari motum cordis in primo instanti generationis, respondetur non dari tunc formaliter et intrinsece, sed initiative

extrinsece, quia motus incipit per ultimum non esse.

Ad tertiam instantiam respondeatur quod petit illud quartum dicitur supra positum, quomodo gravitas sit principium motus. Nam principium intrinsecum quod est forma substantialis et gravitas, aliquando vocatur a S. Thoma principium passivum, ut III part. q. XXXII, art. III et in I de Cœlo, lect. III, imo in hoc libro VIII, lect. VIII, non solum id affirmat, sed addit: «Esse contra intentionem Philosophi, quod in materia sit principium activum, quod quidam dicunt esse necessarium, ad hoc quod sit motus naturalis, sufficit enim quod sit passivum, quod est potentia naturalis ad actum.» Videri etiam potest: I-II, q. VI, ar. v. ad 2 et III contra Gent. c. XXII. Quod obiter advertendum est contra Vazquez, et alios, qui principium passivo negant rationem naturæ ut supra quæst. IX vidimus. Quod vero in gravibus, et levibus sit principium activum motus, expresse affirmat quæst. v. de Potent. artic. v. et IV contra Gent. cap. XCVI, et I-II, quæst. LVI, artic. II et in II, dist. XVIII, q. I, art. II, in fine corporis, et alibi sæpe. Veritas tamen est, quod *ly activum* aliquando sumitur pro principio formali, sive sit principium emanationis, sive actionis. Aliquando sumitur pro principio effectivo et movente, et hoc ideo, quia passivum, et opponitur formæ, et opponitur agenti, et ideo activum utroque modo sumitur. In gravibus ergo datur principium activum formale, et per modum emanationis; non vero activum per modum moventis, seu uno verbo datur principium activum, ut *quo*, non ut *quod*. Quæ resolutio sumitur ex D. Thoma in II, dist. XIV, q. I, art. III, ubi inquit: «Quod in motu corporum simplicium, quamvis forma naturalis sit principium motus, non tamen

est motor, sed essentialis motor est generans, qui dedit formam, et accidentalis est removens prohibens, ut dicitur VIII Physicor. » Unde in illis locis, quibus affirmat esse principium passivum, negat D. Thomas dari principium activum, quo constituatur movens eo modo, quo in viventibus datur principium activum ad motum; et sic sumit *ly activum* pro motore, ut præcipue videri potest I de Cœlo, lect. III et II de Cœlo, lect. II, et aliis locis. Quando vero dicit esse in eis principium activum sui motus, loquitur de principio intrinseco emanationis, et comparative ad cœlum, in quo non invenitur principium activum motus, nec per modum motoris, nec per modum principii a quo emanat motus, sed pure recipit illum a movente, et impellente extrinseco, gravia autem et levia sine impellente extrinseco per formam quam habent a generante, moventur per modum emanationis, qua tendunt ad propriam situationem in universo.

Quod si dicas: Quare ergo requiritur gravitas, et levitas ad hujusmodi emanationem, siquidem substantia per se ipsam est sufficiens principium emanationis, non vero requiritur qualitates superadditas ad emanationem, sed ad actionem propriam, respondetur etiam in ipsa emanatione passionum, emanare unam mediante alia, sicut voluntas medio intellectu, risibile mediante admirativo, de quo S. Thomas I par. qu. LXXVII, art. IV et VII. Motus autem, et quies in loco, oritur in gravibus, et levibus mediante qualitate, quæ est gravitas, et levitas, quia locus non convenit immediate ipsi substantiæ, sed vel mediante quantitate quantum ad extensionem, et situationem, vel mediante qualitate quantum ad rationem loci naturalis, et conservativi, hoc enim maxime a qualitatibus pendet; esse autem

sursum, vel deorsum secundum naturalem inclinationem convenit alicui secundum quod in tali situ convenienter se habet ad sui conservationem; unde gravitas et levitas non est virtus primo et per se motiva; neque enim datur gravi, et levi ad operandum primo et per se, sed ad quiescendum et existendum in loco; quia perfectio talium corporum non est in operando, sed in quiescendo, viventium autem perfectio est in operando ophus; et ita dixit Philosophus in hoc libro, textu XXXII, quod actus gravis est esse deorsum.

Tandem objicies pro prima sententia, quia licet intelligi possit, quod in primo instanti generationis movetur grave a generante, tamen quando postea posito impedimento interrumpitur generatio, et rursus movetur grave, oportet quod sit alia actio distincta a generatione; et tunc jam non est generans. Ergo non potest ab illo talis actio elici. Nec sufficit ponere virtutem generantis ut mediante illa dicatur generans movere, quia restat difficultas, quomodo ista virtus, et a quo moveatur, ut de novo incipiat operari, quia omnis virtus operatur mota. Et licet sit eadem difficultas in quacunque propria passione, quando post impedimentum iterum dimanat a subjecto siquidem emanatio non distinguitur ab actione generantis, tamen specialem difficultatem habet in motu gravium, et levium, et reductione aquæ ad frigus, quia hic intervenit verus et proprius motus a contrario in contrarium. Omnis autem motus in actu, requirit quod movens de novo excitetur ad operandum, et non solum virtualiter moveatur. Dicere autem, quod gravitas est principium passivum motus, major est complicatio, quia restat tunc inquirere, a qua virtute activa hoc principium passivum moveatur, si enim

a generante movetur, ab ipso debet active hoc principium passivum moveri, et cum generans non est per se ipsum præsens ipsi gravi quod movetur, debet aliquam virtutem activam in eo relinquere; unde tollere omne principium activum etiam emanationis in gravi, est tollere quod a generante in absentia moveatur.

Respondetur D. Thomam iv de Cælo, lect. ii, ubi luculenter rem istam tractat, in eam partem inclinare, quod quando grave generatur extra locum suum, et movetur ad locum proprium, tunc ille motus immediate est a generante in quantum dat formam, cui competit esse deorsum, mediatum autem principium activum talis motus est gravitas, quod etiam affirmat i-ii, q. xxiii, art. iv. Si vero grave post ipsam generationem, et acquisitam formam suam sublato impedimento movetur, tunc generans non est proximum movens, sed ipsum grave est quod proxime se movet; nec est inconveniens, quod idem sit movens, et motum per accidens, quamvis sit impossibile, idem moveri a se ipso primo, et per se.

Cæterum auctoritas ista non est D. Thomæ qui quantum librum de Cælo non est interpretatus, sed in tertio de Cælo, lect. viii, finiuntur commentaria D. Thomæ, reliqua vero adjecta sunt a Petro de Alvernia; quare D. Thomas in iii de Cælo, lect. vii, circa finem docet contra Averroem: « Quod forma gravis et levis non est principium activum per modum moventis, et sicut agens motum: sed sicut quo movens movet, sed motus gravium et levium procedit a generante immediate. » Et expresse impugnat Averroem, qui dicebat, quod corpus grave, et leve movet se ipsum per accidens, sicut nauta, qui movet navem, a cuius motu ipsi movetur.

Dicendum est ergo, quod motus gravium, et levium semper est a generante, sive fiat in principio generationis, sive postea quando sublato impedimento iterum grave movetur, quia semper est emanatio propriæ passionis, nempe colloca-tionis et quietis in loco proprio. Et licet generatio prima cesset, et interrumpatur formaliter, tamen manet virtualiter, quia manet ipsa virtus generationis qua generans generabat, quatenus manet forma genita impedita suo complemento, et propria passione; generans autem non attingit proprias passiones immediate, sed mediante forma, cui conveniunt et connectuntur. Ut autem dicit D. Thomas quaestiuocul. iii de Potentia, articulo xi ad 5: « Generatum tandiu movetur a generante in gravibus et levibus, quamdiu retinet formam sibi traditam a generante, sicut instrumentum intelligitur moveri a principali agente, quamdiu retinet virtutem a principali agente impressam. Oportet autem movens, et motum esse simul, quantum ad principium motus, non tamen quantum ad totum motum, ut apparet in projectis. » Ita D. Thomas. Quare cum virtus relicta a generante non sit aliud, quam forma geniti, ut perficiatur generatio in his, quæ habent connexionem cum ipsa forma, quotiescunque impeditur ista virtus, ne explicet se in talem emanationem propriæ passionis, sublato impedimento, iterum se explicat nova quidem emanatione, sed eadem virtute petente illam novam instaurationem, et explicationem emanationis, quoties de novo impeditur, et impedimentum tollitur. Nec ad hoc indiget nova excitatione, et motu, quia jam de se determinata est, ut sublato impedimento emanet iterum propria passio propter necessariam connexionem, et debitum propriæ pas-

sionis cum natura genita, jam mota a generante, quando prima affecta est, facta est enim ut determinata ad hanc passionem; neque est aliud virtus generantis remanens in genito, quam ipsa forma generata, ut dicit D. Thomas quatenus connexionem habet cum sua propria passione, et ad talem emanationem de novo non requiritur nova motio, aut determinatio sed impedimenti ablatio. Videatur etiam ad hoc D. Thomas v Physic. lect. iii, ubi docet, novam relationem consurgere ex vi actionis ponentis fundamentum, in quo relatio continebatur virtualiter, sed explicatur posito termino, sive nova actione, et mutatione.

Sed dices: Si ille motus est emanatio propriæ passionis, cur est velocior in fine, quem in principio, et non semper æqualis, respondet D. Thomas i de Cælo, lect. xvii, circa finem, ex eo esse, quod grave quanto magis descendit, tanto magis confortatur gravitas ejus propter propinquitatem ad proprium locum. Ita que emanatio propriæ passionis, vel est instantanea, si id quod dimanat, intra ipsum subiectum est; vel si respicit aliquid extra in quo sit, tanto est vehementior, quanto illi propinquior, quia tunc habet majorem convenientiam, et conjunctionem cum illa; unde inclinatio, et appetitus ad illam, quæ fundatur in tali convenientia confortatur, et major fit. Nec tamen valet, si dicas quod hoc modo si lapis incipit movere prope centrum, habebit motum velociorem, quam si incipiat moveri a longe, cum tamen in principio motus ille non sit ita velox. Respondetur enim, quod vehementia velocitatis non sumitur ex propinquitate loci ad locum, sed ex propinquitate emanationis ad quietem. Quando enim incipit emanatio ad quiescendum, et prolongatur, quanto magis appropinquat, tanto

est velocior. Quod vero incipiat a loco majus, vel minus distante a centro, per accidens est, ad hoc ut habeat majorem velocitatem ex eo, quod a tali loco, incipit.

ARTICULUS II.

Qua vi moveantur projecta?

Tres sunt difficultates breviter tractandæ. Prima, an detur impulsus movens projectum, et quid sit. Secunda, quomodo corrumpatur talis impulsus. Tertia, quomodo fiat motus reflexus, quando resilit projectum.

Circa primum multi ex antiquis dixerunt, motum projectorum esse aerem a tergo impellentem rem projectam, qui eandem difficultatem patiuntur in assignando, qua vi aer moveatur, ut Aristoteles advertit in hoc libro. cap. x. Negavit autem dari qualitatem impulsivam Pereira lib. xiv Phys. cap. v propter difficultates, quæ in ea asserenda inveniuntur, et auctoritates quasdam Aristotelis, quæ videntur aeri attribuere motum projectorum. Difficultates sunt, quia non apparet quæ sit ista quantitas, et cuius speciei, cum modo habeat vim levitatis tendendo sursum, modo gravitatis deorsum, modo nullius tendendo ad partes circumstantes; quomodo autem potest una qualitas tot motuum diversitates causare. Secundo, est difficultas, quomodo corrumpatur ista qualitas, cum non assignetur ei contrarium, a quo destruitur.

Auctoritates autem Philosophi sunt in iv Phys. textu lxxviii ubi dicit, projecta non posse moveri per vacuum, quia non est aer a quo deferantur. Item in hoc libro iii, text. lxxxii, dicit moveri projecta, quatenus pars aeris movet vicinam, et illa aliam, quousque perveniat ad projectum, illudque deferat. Et in

in de Cælo, text. xxiii, dicit quod motus violentus utitur aere ut instrumento: quod si aer non esset, motus violentus non esset. Et denique aliis multis utitur locis, attribuit aeri motum projectorum, non impulsui impresso rei projectæ, ut libro de insomniis, c. ii et in problematibus, sect. xi, probl. vi et aliis locis. Denique, S. Thomas in de Cælo, lect. vii dicit: « Non esse intelligendum, quod virtus motoris imprimat lapidi in motu violento aliquam virtutem per quam moveatur, sicut virtus generantis imprimit genito formam, quam consequitur motus naturalis. »

Nihilominus qualitas seu vis ista impulsiva negari non potest absolute loquendo, sive recipiatur in aere movente, sive in ipso projecto, aer enim concitatus et impulsus aliqua vi impressa indiget, ut concitetur; ergo eadem difficultas est in hac sententia circa qualitatem istam impressam aeri, vel impressam projecto. Et Aristoteles aperte talem vim fatetur in ipso loco citato hujus libri viii, text. lxxxii dum dicit, tunc cessare motum projectorum, cum vis movendi minor imprimatur. Et in sententia D. Thomæ negari non potest virtus ista impulsiva non per modum permanentis impressa, sed per modum transeuntis, ut loquitur in quæstione de Anima, art. xi ad 2: « Virtus, inquit, quæ est in semine a patre, est virtus de permanentibus ab intrinseco, non fluens ab extrinseco, sicut virtus moventis, quæ est in projecto. » Et qu. iii de Potent. art. xi ad 5, dicit: « Quod instrumentum intelligitur moveri a principali agente, quamdiu retinet virtutem a principali agente impressam, unde sagitta tandiu movetur a projiciente, quamdiu manet vis impulsus projicientis. » Itaque a projiciente procedere vim aliquam efficientem istum motum in rebus

projectis, sive illis immediate imprimatur, sive mediante aere, nec in sententia Aristotelis nec D. Thomæ negari potest, cum Aristoteles loco citato dixerit: « Id quod primum movet efficere ut aer aut aqua, aut ejusmodi aliquid, quod moveri movereque aptum sit, possit movere. » Et ratio est manifesta, cum effectus ille, scilicet motus localis rei projectæ ab aliqua vi provenire debet, non a sola virtute, quæ inhæret projicienti, quia hæc distat a projecto, nec potest operari in distans nulla virtute communicata illi, in quo effectum operatur; alias illa virtus, si posset agere in distans sine communicatione virtutis, possit in quameunque distantiam movere: requiritur ergo virtus aliqua extra projicientem emissa, ut operetur, sicut etiam securi communicatur aliqua vis, ut scindat tali vel tali modo, quam ex se non habet, et ab artificis motu participat.

An vero ista virtus seu impulsus recipiatur in ipsa re projecta, an in aere deferente non tanti momenti quæstio est. Videtur autem in utroque recipi. Nam verba citata D. Thomæ in ipsa figura impulsus recipi significant. Et in iii de Cælo lect. viii dicit: « Quod aer susceptibilior est hujus impressionis, quam lapis, » quod est utrique eam attribuere. Et quidem multum juvari ab aere concitato, tum ut feratur res projecta, tum ne cadat, ipse Aristoteles docet iv Physic. text. lxxviii, licet ex aliorum sententia videatur loqui, refert enim quod alii id dicunt, loco citato ex iii de Cælo, docet ipse et D. Thomas: « Quod aer instrumentum motus violenti, » videtur etiam illa experientia juvari, ut advertit S. Thomas in de Cælo, lect. viii, quia res impulsiva non tanto impetu fertur in principio, nec ita ferit rem propinquam, sicut aliquantulum distans,

tem, quia aer non ita concitat plures partes in initio impulsus sicut paulo post. Cæterum non soli aeri imprimatur iste impulsus, quasi requiratur ad motum violentum projecti, quod ab extrinseco impellente, qualis est aer, moveatur. Restat enim eadem difficultas de aere distante, qui est deferens projectum distans, et etiam violenter movetur, a quo alio extrinseco moveatur, cum longe distet a projiciente. Nec apparet quomodo solus aer possit esse causa motus vehementissimi, ut globi emissa a bombardâ, aut cum rota vehementissime concitatur, cur etiam res dura et solida ut lapis vehementius feratur ab impulsu, languidius vero pluma aut res alia mollis. Cum tamen si a solo vento fertur, e converso sit signum, ergo est impulsus non in solo aere recipi quasi ventum, ut ferat rem projectam.

Ad primum fundamentum oppositum respondetur multas alias qualitates esse motivas, præter levitatem, et gravitatem ut magnes movet ad se ferrum, electrum paleas, et alia similia, cur ergo negemus dari impulsus, qui sit virtus ab animali impressa quasi instrumentam ejus? Et ideo potest habere tam diversos motus, sicut ipsa virtus animalis, cujus vices gerit, ut participatio ejus: quamvis etiam facta aliqua compressione vel dispositione corporum, possit ex motu naturali aliquis impulsus seu motus resultare contra propriam inclinationem quod communiter accepit propter aliquod impedimentum obliquans motum naturalem, vel propter vacuum ne detur.

Ad quam vero speciem pertineat impulsus? Aliqui ut M. Soto hic qu. iii, reducant illum ad primam speciem, quia suscipit magis et minus, et habere potest contrarium. Alii reducant illum ad secundam speciem,

quia est virtus instrumentalis participata a potentia motiva; reducit autem D. Thomas instrumentalem vim ad speciem potentiæ, cui deservit iii p. q. lxxii, art. ii. In his autem quæ reductive solum spectant ad aliquam speciem non repugnat deficere ab aliqua ejus perfectione vel conditione, ideo enim reductive solum pertinet, quia non perfecte; et ita potest suscipere magis et minus talis virtus instrumentalis, licet non ipsa potentia cui ministrat. Et ita hoc est probabile.

Quod si dicas: Ergo in impulsu datur motus alterationis, quia productivus est qualitatis, respondetur proprie non esse alterationem, quia alteratio non est ad qualitatem instrumentalem, et per modum motionis deservientem, sed ad qualitatem disponentem materiam, vel terminantem motum per modum passionis, vel passibilis qualitatis, ut Philosophus probat lib. vii, cap. iii.

Ad secundam difficultatem statim respondebimus, quomodo corrumpatur impulsus.

Ad auctoritates Philosophi respondetur ipsum non negare impulsus, quem aperte fatetur, sed docet imprimi aeri et mediante eo rei projectæ, quia ut dicit S. Thomas in de Cælo, lect. vii, facilius recipit impulsus, quam res projecta, non enim negari potest saltem aërem ab impulsu concitari. Ad auctoritatem D. Thomæ respondetur solum negari projectis virtutem per modum permanentis, non per modum transeuntis, quæ a D. Thoma magis vocatur motus quam qualitas, quæ stabilem virtutem nominat, ut i-ii, q. cx, art. ii.

Secunda difficultas.

Multi existimant, impulsus corrumpi solum a contrario, non qui-

dem ab ipsa gravitate substantiali, seu habituali, sed ab accidentali, quæ non est aliud quam gravitatio, seu conatus gravis ad tollendum impedimentum descensus. Ita P. Vazquez I-II, disp. LXXXI, c. III; Montesinos I-II, disp. XXXIV, q. I. Sed urgentur isti Auctores illo vulgari argumento, quia impulsus non semper contrariatur gravitati aut levitati, ut patet, cum per impulsum lapis projicitur deorsum, vel aer traditur sursum, quo casu non est duplex motus, quia non acquiritur duplex ubi, est tamen duplex principium motus in unum conveniens, scilicet impulsus et gravitas, et tamen impulsus evanescit: quod patet, quia si impellatur lapis deorsum a loco distant, non facit tantum in fine motus quantum in medio, v. g. globus emissus deorsum a tormento bellico languescit impetu emissionis, et durante motu gravitatis non tam vehementer ferit; signum, ergo est desinere impulsus quo fertur deorsum, et non a gravitate cum non contrarietur motui, quo impellitur deorsum.

Respondetur P. Vazquez in tali casu impulsus a terra, quam tangit corrumpi, quia impulsus ille terræ impressus aliquo modo movet eam, cum sit librata suo pondere quasi in bilance, et mota terra sua gravitatione contrariatur impulsui, eumque destruit. Alii respondent corrumpi a resistentia terræ impediendo motum impulsus, sicut impeditur a tecto sursum posito, ne ultra transeat impulsus: quod utique non est per contrarium motum, et ita non explicant, a quo contrarium corrumpatur.

Cæterum illa prima solutio non potest sustineri, quia terra non est librata suo pondere quasi in bilance, sed tanquam in centro, ubi perfecte quiescit, et fundatur super stabilitatem suam. Unde nisi impulsus ali-

quis totam permeet, et violente elevet, non movetur: hoc autem fieri non potest a lapillo vel grano cadente in terram, vel quolibet alio pondere; imo cum ex omni parte crebro aliqua cadant in terram, vel ambulent super eam ex omni parte, et contrariis motibus moveretur terra sursum et deorsum. Addo, quod cum his temporibus opinio quædam Copernici, et aliorum de motu naturali terræ per modum gyrationis, edicto Sedis Apostolicæ a Paulo v. condemnata sit, iterum, ut a fide dignis audiavi a Gregorio xv opinio de motu terræ qualicumque etiam librationis damnata est, utpote eisdem Scripturæ locis contraria. Deinde contra utramque solutionem instatur, quando leve ascendit impulsu aliquo motu, vel grave descendit, et impulsus ille cessat, antequam terram vel corpus attingat; tunc enim nullum datur contrarium, nec aliquid impediens, quo impulsus ille corrumpatur; ergo non semper a contrario corrumpitur.

Quare dicendum est, quod impulsus desinit sicut lux, et sonus, et aliæ qualitates transeuntes, quæ aliquando corrumpuntur a contrariis, aliquando desinunt ex defectu causæ conservantis, quia dantur per modum transeuntis, sicut et ipse motus. Sed tamen lux dependet a causa conservante, scilicet luminoso, taliter quod in absentia ejus, nec in instanti durat, quia illuminatio fit in instanti, et non per motum, unde cessante luminoso, in instanti desinit. Impulsus autem datur per modum motus, quia per modum virtutis instrumentalis ad movendum aliquid corpus, et ideo aliquamdiu durat in absentia motoris; et ut inquit D. Thomas quest. de Anima, art. XI ad 2, et quest. III de Potentia, articul. XI ad 5, quia illa virtus finita est, movet usque ad determinatam distantiam, et tandiu mo-

vetur aliquid a projiciente, quamdiu manet vis impulsus projicientis. Quare istæ qualitates datæ per modum transeuntis ex natura sua habent dependere a principali agente, ut a conservante vel instantanea, vel secundum motum. Si vero occurrat motus oppositus, vel a gravitate, vel a levitate, vel ab alia causa ab illo corrumpetur, sicut etiam lux potest impediri ab opaco interposito, et non solum ex absentia luminosi defleere.

Quod si dicas impulsus non dependere a projiciente, ut a causa conservante, quia separatus ab ipso durat, respondetur quod impulsus separatus a projiciente, et non instauratus ab ipso, durat per modum transeuntis: et via corruptionis, quia dependet ab ipso non instantanea, sicut illuminatio, sed successivo modo sicut motus, et sic etiam separatus sit, et non continetur eum projiciente, aliquamdiu, durat, sed non diu conservatur, quia ex ipsa sua natura transeuntur datur, et solum ad determinatam distantiam.

Et hinc colliges, quomodo desinat impulsus, nam si desinit per contrarium, desinit in instanti extrinseco per primum non esse, quando est verum dicere, nunc est positum contrarium, et consequenter non est impulsus, immediate antea erat. Si autem desinit defectu causæ conservantis, quia pervenit usque ad ultimam debilitationem, desinit similiter per primum non esse, quia qualitas versus diminutionem, et non gradum desinit per extrinsecum terminum parvitas, ad quem non pervenit, et infra illum invenitur, ut diximus supra quæstione octava.

Tertia difficultas.

Circa motum reflexum dubium est, a quo causetur reflexus mo-

tus, an a corpore, v. g. a pariete, unde resilit, an a projiciente, unde incipit. Nec enim videtur posse causari a pariete: tum quia paries manet immotus, et caret vi impulsiva, et sic non potest movere, et de novo motum producere, si motus projicientis ibi deficit; tum quia quando pila, v. g. decidit in terram, et resistit ascendendo, ille ascensus non potest causari a terra, cum sit illi contrarius; tum quia non omnia corpora resiliunt, ut ferrum vel lapis, si tangant corpus durum; ergo non est a pariete illa reflexio, sed ab alia dispositione corporis impulsu; tum denique, quia pila tanto vehementius resilit quanto fortius projecta fuit; ergo non potest a solo pariete causari: hoc enim eodem modo semper se habet. A projiciente autem ille motus reflexus fieri non potest, tum quia est motus contrarius et discontinuus priori, cum in pariete frangatur prior impetus; tum, quia in pila cadente sine impulsu in terra, et resiliente datur idem motus reflexus, et non a projiciente, ergo a corpore unde resilit.

Respondetur, in motu reflexo duo inveniri scilicet id quod per se movet, et causat motum secundum se, et id quod refrangit motum, et causat reflexionem, quod per accidens se habet, et causat motum reflexum, ad modum, quo per antiperistasis causatur major intensio in qualitate opposita, vel ex reverberatione lucis in alio corpore causatur intensior lux, et calor; sicut enim quando frigus circumdat calidum, calor ille a frigore repercussus revertitur ad calidum, et intendit illud: ita etiam motus directus, sive fiat per impulsus projicientis, sive per motum naturalem gravitatis, si tangit corpus durum refrangitur, et fit duplex motus; et illud corpus durum est causa illius motus quantum ad discontinuationem, et refractionem,

sed impellens est causa illius quantum ad substantiam motus, sicut motus libiæ curvæ quantum ad obliquitatem est a curvitate, quantum ad substantiam motus vitalis est ab anima informante tibiam, et ibi modificante motum; sic motus reflexus in quantum est obliquatus, et deficiens a directo est a durtie corporis impediens motum directum, quantum autem ad substantiam motus est a projicientis impulsu, vel ut a causa movente directe et suo impulsu tangente corpus durum, ubi obliquatur et modificatur impulsus in contrarium motum. Unde Aristoteles in hoc libro octavo, textu xxxii, cum simpliciter dicit, quod motus pilæ non est a pariete, sed a projiciente, intelligitur quod est a projiciente remote, et quantum ad substantiam motus, non quantum ad obliquitatem, et refractionem illius.

Ad primum fundamentum oppositum, respondetur quod paries ubi sit reflexio, est immotus, et caret vi impulsiva, quantum ad impellendum et movendum per se, non quantum ad resistendum, et impediendum motum directum, et causandum reflexum per accidens; ad hoc enim non requiritur vis impellens, sed impediens, nec requiritur quod paries sit motus, sed ipso motu directo attractus sicut frigus circumstans causat calorem per accidens et corpus opacum refractionem lucis per multiplicationem et divisionem ejus.

Ad secundum dicitur, quod quando pila cadit in terram, et flectitur ascendendo, ille ascensus per accidens est a terra, quia non est ab illa in quantum ascensus, sed in quantum motus obliquus, et refractus a directo, sicut quando aqua calefacta circumdatur frigore, fit calidior per antiperistatim, non quia calor fiat a frigore, sed quia refrangitur ab

illo, et consequenter multiplicatur, redeundo ad calorem aquæ. Per accidens enim non repugnat fieri oppositum effectum alicujus qualitatis refrangendo, aut obliquando motum ejus.

Ad tertium respondetur ad refractionem requiri aliquam dispositionem in corpore resiliente, utpote, quod sit talis densitatis, vel levigationis, et similia, quæ si desint, non fit motus reflexus, non ex defectu moventis, vel refragentis, sed ex defectu dispositionis requisita, sicut lux non in omni corpore refrangitur, nec frigus circumstans semper facit antiperistatim.

Ad ultimum respondetur vehementiorem motum reflexum causari præsuppositivè a vehementiori motu directo stante eodem corpore duro, quia tunc fit major refractione motus; et consequenter in reflexione etiam invenitur major impetus, quia eadem fortitudine, qua exivit a projiciente, refrangitur a repercussio.

QUESTIO XXIV.

DE ÆTERNITATE MOTUS, ET PRIMO EIUS MOTORE.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum res permanentes potuerint esse ab æterno?

Supponimus duo in fide certa. Primum est, mundum incœpisse in tempore, et similiter motum ejus. Secundum, Deum non de necessitate produxisse mundum, sed potuisse non producere, et posse nunc destruere. Hæc omnia de fide sunt, et in Philosophia supponenda, vel potius suspicienda. Nam de primo constat Genes. 1: *In principio fecit Deus cælum et terram*; et Psal. LXXXIX;

Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis: Joan. xxxvii: *Priusquam mundus fieret apud te*: idque etiam definitum est in Concilio Lateranensi secundo. Nec vero per rationem potest demonstrari mundum incœpisse in tempore, cum id præcise pendeat ex voluntate libera Dei, sicut etiam rationes, quæ a Philosophis asseruntur ad probandum, quod mundus sit ab æterno, nullo modo cogunt, ut luculenter ostendit S. Thomas 1 p. q. xlvi, art. 1 et 2, ubi etiam ostendit Aristoteles in hoc libro opinative locutum fuisse. Nam in 1 Topicor. cap. ix, inter problemata dialectica, ponit utrum mundus sit ab æterno. Videri etiam potest D. Thomas hac de re 2 contra Gen. a c. xxxii usque ad xxxviii, et in 2, dist. 1, q. 2, art. v, et dist. 2, q. 1, art. iii.

Secundum etiam constat aperte ex Scriptura tribuente voluntati Dei creationem omnium, ad Eph. 1: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; et Apocal. iv: *Tu creasti omnia, et præter voluntatem tuam erant, et creata sunt*. De quo videri possunt Theologi 1 part. quæst. xix. An vero mundus potuerit habere initium temporis ante instans, quo nunc creatus est, respondetur potuisse licet nos lateat ratio, quare in tali puncto creatus sit, de quo D. Thomas quæstione tertia de Potentia, articulo xiv ad sextum.

His suppositis, de possibili solum est difficultas, an potuerit mundus creari ab æterno, sive quoad res permanentes, de quibus in præsentis articulo agemus, sive quoad successivas, et generationes, et corruptiones, de quibus est specialis difficultas, de quibus agemus in sequenti articulo.

Quoad primum, videtur repugnare creatio rerum ab æterno. Primo, quia tunc non esset signabile ini-

tium, quando talis creatura incœpit, quia quolibet designato antea fuit. Secundo, quia tunc non procederet de non esse, quia nunquam fuit verum dicere, quod non erat. Tertio, quia creatura non esset annihilabilis per æternitatem. Nam vel duraret finita duratione, vel infinita; si infinita, in tota illa non annihilaretur: si finita, ergo ab æterno, quando incipit usque ad illam annihilationem, solum esset duratio finita, et sic tota duratio ab æterno infinita non esset, quia finitis terminis comprehenderetur. Quarto, non esset Deus liber in creando, si ab æterno crearet, quia nec antequam crearet; supponimus enim non dari ante; neque cum crearet, quia non poterat simul creare et non creare, nec post, quia ad præteritum non est potentia. Quinto, posset creatura habere infinitam virtutem, et si tota æternitate intenderetur calor, aut gratia, vel scientia, cresceret in infinitum, quia duratio esset infinita. Denique, creatura tunc esset infinita in duratione; ergo et in esse, seu essentia. Adstipulantur etiam dicta sanctorum, nam Augustinus 2 de Civitate, cap. xv, ait: «Angelos non potuisse esse coæternos creatori,» et Hugo lib. 1 de Sacramentis, cap. x: «Fugit, inquit, divinam virtutem, ut aliquid sibi coæternum faciat.» Et communiter sancti negant creaturam posse esse coæternam creatori, ut Ambrosius, Damascenus et alii. Hanc partem nonnulli Doctores defendunt, præsertim ex antiquis qui videri possunt apud Conimbricenses hic q. vi, art. 1, et Carmelitani, disp. xxix, q. iii.

Oppositum tamen omnino tenendum est, et expresse asseritur a S. Thoma 1 p. q. xlvi, art. 1 ad primum, et q. iii de Potentia, art. xiv, ubi rationes in contrarium solvit, et 2 contra Gen. c. xxxviii, et opuse-